Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36551
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

& principium peccatis flagellatur dicentis. patres nostri peccaverunt & non sunt. Qua
si. illi sunt qui debuerant & nos iniquitates eorum vindictam susti
nemus. Non tamen de se populus presumat, quia primitus plebis est
electio pastoris. neque imitatoribus culpa minuetur sed au
getur. Unde cain septies punietur, lamech septuagies septies.
post preceptum enim & exemplum maior est peccantis pena
& peccatum. Potest & hoc referri ad originale peccatum.
cuius tabes in omnes transivit, sed quia gratia sumus liberati non portamus
iniquitatem patris. Patres enim peccaverunt & non sunt. Peccatum enim nichil
est. & qui peccat nichil est, quia relicto vero esse voluit non esse. id est
peccare. Illi dixit patres peccaverunt & non est peccatum eorum. Il
lis enim defunctis manet peccatum & pena peccati. Sed
postquam peccatum in baptismo remissum est, unusquisque pro propriis pu
nitur malis. ac remuneratur bonis. Servi dominati sunt nostri et non fuit
Hyst. Servi dominati sunt nostri & cetera. Easdem texit qui redimeret de manu eorum
& retexit miserias semper aliquid novi adiciens. quamvis eadem
revolvens, & novos refecit cruciatus, ut pius iudex ad mi
sericordiam revocetur. Servi dominati sunt nostri. quasi tu liberasti nos in
brachio extento & exaltasti in regno. nunc & servi dominantur
nostri. & non est qui redimat. Quasi. cur oblivisceris consueta bene
ficia, respice in nobis opera tua non nostra. Alleg. Plorat
gens sancta populus acquisitionis, quia spirituales nequitie que suam perdiderunt
libertatem dominantur nostri & affligunt servitute peccati vel peccatorum.
Servi in ecclesie regimine constituti, in eos quos dominus redemit.
luporum exercent rabiem. non canum defensionem. Lucet quod iste peni
tentium est qui satane laqueos evadere cupiunt, cuius dominio subiu
gati sunt. Heretici quoque servi peccatorum dominantur eis quos deceperunt
& servos faciunt viciorum. & in tantum nemo est qui absolvat
eos. quia eorum dogmatibus irretiti sunt. In manibus nostris afferebamus
In manibus nostris & cetera. Felix panem nobis a facie gladii in deserto.
anima que tam ardenter petit panem vite scripture scilicet & interni